Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 2511

Quelle:
Copyright:

de Morte Cujusdam iis devoti. 3°. *E Sermone Nicolai de Dünckelspühl* habito *Viennae* in ecclesia beati *Stephani*, quo probatur in Missa *Praesanctificatorum* feria 6. *Parasceves* Sacerdotem sumere Eucharistiam sub una duntaxat specie; vinum vero immissa in calicem particula non converti in sanguinem. 4°. Contra usum in Ecclesiis suspendendi *banneria, clipeos et galeas cum alijs instrumentis bellicosis. Videmus enim manifeste cum iam nobiles et curiales ingrediuntur ecclesias et vident arma, statim se ad ea conuertunt et discuciunt per singula facientes de hijs confabulaciones plurimas* &c. Item contra frequentes in Ecclesiis Sepulturas. Locus totus lectu dignus. 5°. *Contra illos qui de vsuris et alijs rebus male acquisitis ecclesias edificant.* &c.

DCLXII.

481 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. bohem. Sec. XIV. et XV. Folior. 260. 4. calamo currente et diverso perscriptus complectitur Sequentia: I. Sine Titulo Commentaria in *Summam Pauperum*, Sec. XIV. in membr. usque ad *fol.* 45. deinceps in charta exarata. Est vero *Summa Pauperum* alio nomine *Summa* vel *Summula Raymundi*, vel ad nomen istud adludendo *Radius Mundi* Compendium Metricum *Summae de Poenitentia et Matrimonio Raymundi de Peniaforti Barcinonens.* O. P. noti illius sub *Gregorio IX. Decretalium* Compilatoris, an. 1275. defuncti. Verificatorem hujus Compendii *Quetifus* et *Echardus* in *Scriptt. Ord. Praed.* T. I. p. 734. et T. II. p. 821. statuunt e fide *Cod. ms.* et editionis *Paris.* 1494. 4. Fratrem quendam *Adamum Teutonem* sui ordinis, qui tamen Poetarum usus privilegio et ordinem *Summae Raymundinae* invertit, et quaedam de suo addidit.

Quedam longaui non inscius et breuiaui,

ut ipsemet ait in Prooemio *fol.* 6. edit. *Argent. per Joan. Knoblouch* 1518. 4. *Quetifo*, *Caveo* et *Fabricio* ignota, quae mihi objacet. Est illa prolixo instructa Commentario, cujus Autor ita non est *Adamus* ille Metrifex, ut ne quidem de *Adamo* aliquid compertum habuisse videatur. Postquam enim *fol.* 2. dixisset, *Raymundum* ipsum esse Compilatorem hujus *Summulae*, subjungit: *Sed aliqui alij dicunt quod Raymundus banc summulam non fecit, sed fecit quandam magnam summam prosaicam. ex qua quidam versificator banc summulam extraxit.* E quo et illud inferre licet, *Adamum* diu ante Commentatorem vixisse, et fortasse ipso *Raymundi* Seculo. Id quod et *Codex* noster Sec. XIV. scriptus confirmat. Est vero *Commentarius*, quem is exhibet, prorsus ab edito, de quo hactenus diximus, diversus, ut adeo *Summa Pauperum* duplici expositione gaudeat,